

sequentia v.9. Adjicio jam aliorum quoque fensa. A
In altum ascende, peracto nimirum pro me iudicio:
 ad illud enim Deus dicitur descendere: *Gen.*
XVIII, 21. ita *Vicar.* De reditu in pristinam digni-
 tatem, ex qua Deus, exulante Davide, videbatur
 depulsus, *Moller.*

EXPLICATIO VERSUS IX.

ידין *judicat:*) (fut. pro præsenti.) der Herr ist
 Richter. Luth. prius: der Herr richtet das Volk:
 q. d. tu Deus iudicas populos, eosque vel punis,
 vel, si innocentes sunt, absolvis, ac defendis: E.
 & me in fontem jam defende, hostesque puni.
 Vel Deum invocat, ceu iudicem omnium popu-
 lorum iustissimum, ut exinde tantò magis Davi-
 dis quoque innocentia ac confidentia eluce-
 scat, qui non hominem, sed omniscium ac iustissi-
 mum iudicem sibi in hâc causa poscit. Sic &
 Abraham Dei exaggerat iustitiam, ceu iudicis
 universi orbis, *Gen. XVIII, 25.* Notetur simul su-
 bita personarum mutatio, siquidem in secunda
 modo dixerat: *revertere*; nunc in tertia: *judica-
 bit*: mox rursus in secunda, *judica me*, nimirum
 pro ratione variantium in periclitantibus affe-
 ctuum, quibus Deus modo ut absens, modò ut
 præsens concipitur, variat quoque in precibus lo-
 quendi ratio, ut passim videre est in psalmis.

שפטני *judicame:*) i. e. innocuum me ab isto,
 quod mihi nunc intenditur, flagitio publicè de-
 clara. vindica me: vide *Drusium. l. 1. misc. c. 59.*
 Videtur ellipsis esse conjunct. illativæ **על**
quapropter.

כצדקי *secundum iustitiam meam:*) non per-
 sonæ scilicet, sed causæ, nam *Psal. CXLIII, 2.* ait; *ne
 intres &c.* vide *Gerb. t. 4. LL. p. 97. & t. 4. conf. cath.
 p. 822. Höpfn. de 10. iust. proæm. th. 13. Hutterum in F.
 C. p. 233. seq. 365. Chemnit. t. 3. LL. Bon. op. quest. 7.
 cl. 7. Hunnium t. 1. op. f. 628. Battum de iustif. p. 491.
 Chamier. t. 3. panstr. I. XI, c. 23. § 12.*

וכתמי *juxta integritatem meam:*) prout
 sincere scilicet ac sine dolo egi hæctenus cum Rege
 meò aliisque adversariis. ita **תמי** notat *sincerita-
 tem* in opere, *Gen. XX, 5. 6.* ubi Abimelech de
 cordis integritate protestatur. R. **תמי** *absolvi,
 compleri, finire.*

עלי : i. e. *quæ in me est*, vel quæ est penes me Ni-
 mirum **על** quandoque idem est ac **(ב)**, ut *Hof.
 XI, 8. cor meum עלי in me; Psal. XLII, 5. 6. anima mea
 עלי in me: conf. Cob. V, 1. VII, 9. Psal. CXLII, 4. coll.
 cum Psal. CVII, 5.* Aliàs etiam commodè redditur
*Apud, ut Prov. VII, 14. Psal. XC, 17. CIV, 34. Syrus:
 תמי perficies malum עלי super impios.*

EXPLICATIO VERSUS X.

יגמר *consumatur, desinat:*) verbum hoc in
 libro Psalmorum tantum occurrit, & quinquies
 quidem; ter accipitur neutraliter, *Psal. XII, 2.
 LXXVII, 9.* (ubi synom. **תמי**) & *b. l.* bis verò con-
 structum cum præp. **על** & **בערי** est *perficere*, vel
 limitem circa aliquem constituere, Lutherus: *laß
 ein Ende werden.* de Dieu: *deficiet nunc malitia im-
 piorum*, h. e. fac, o iuste iudex, ut finis tandem
 aliquando sit malefactorum, ne quicquam adda-
 tur eis imposterum. Transitive a R. Obadja, li-
 cet eodem ferè sensu: *Consumet malum impios.* quò
 cum etiam Campen: *perdet tandem ipsa malevolen-
 tia impios.*

נא *quæso:*) sic *Gen. XVIII, 30. Exod. XII, 12. 13.*
 vel *nunc*, ut *Gen. XII, 11. Cob. II, 1.* Prius commodi-
 us, ut simul sit optativus. Si indicative reddideris;
consumet nunc, præscribitur h. m. tempus exter-
 minii proximè inferendi, quod tamen in liberta-
 te Dei relinqui meritò solet.

רע *malitia:*) i. e. iniquæ istæ contra me bo-
 nosque alios machinationes.

רשעים *impiorum:*) i. e. eorum, qui mihi sunt
 infensi; multi enim Davidem adhuc diligebant,
 1. *Sam. XVIII, 16. Kimchi.* Votum itaque Davidis
 eò tendit, ut tandem aliquando Deus præcidere
 velit filium felicitatis adversariorum, postquam
 satis diu floruerant, non sine insigni piorum
 scandalo ac damno.

והכונן *stabilias:*) i. e. contravim iniquam
 firmum ac immobilem eundem ferves, ne deji-
 ciatur de statu suo aut bonitate causæ: sic nam-
 que **בון** in piel est verbum architectorum, quò
 significant omnem collocandæ columnæ ratio-
 nem *κατέσθυρον*, secundum *Lorinum*; adeoque est
stabilire, fundare, v. g. cælum *Prov. III, 19.* terram
Psal. CXIX, 90. Jes. XLV, 18. thronum ad iudici-
 um, *Psal. IX, 5. 2. Sam. VII, 13.* item præparare, ut
 2. *Sam. VII, 24. והכונן* tibi pop. tuum *Isr. Psal.
 VIII, 4.* stellas: nec non secundare opus manu-
 um ac stabile reddere *Psal. XC, 17.* quæ ipsa ac-
 ceptio & huc quadrat, uti Lutherus habet: *und
 fördere die Gerechten.* Opponitur autem hæc p̄i
 confirmatio absumentioni impiorum, quæ præce-
 debat; & sicuti malum velut suâ sponte cadit,
 ita omnis piorum secundatio non nisi à Deo
 proficiscitur: illud Deus indignum habet, quò
 cum ullum habeat commercium, quâ de causâ
 etiam nudè dicitur: *deficiat malum*; hanc autem
 specialiter David appropriat Deo in secunda per-
 sona; *tu stabilies &c.*

צדיק *justum:*) i. e. me meosque asseclas: *Kim.
 Aliqui, ut Cloppenb. in opusc. sac. p. 221.* post Ari-
 am Montanum construunt hocce nomen cum
 sequentibus: *justus & probans corda &c.* ita ut ad
 verbum **הכונן**, quod Cloppenb. vertit, *diriges*,
 subintelligatur, *arcum & sagittas*, ad debellandos
 impios, juxta *Psal. XXI, 13. VII, 13.* Verùm blan-
 ditus hic nimium Cloppenburgio videtur *Lud.
 de Dieu, ibid. p. 222.* dicendo; *si licet avellere hoc
 Zaddik à verbò stabilies; &c.* quod ipsum sanè
 prorsus non licuit, siquidem expressa satis est
 accentuatio, quâ *merkà compositum* hocce Zaddik
 avellit à subsequenteribus per grande quoddam
 colon: præterea, quod rectè monuit de Dieu, ob-
 scurissima est verio: *deficiat malitia improborum &
 dirige.* è diversò perspicua omnino est oppositio:
deficiat malitia improborum, & confirma justum.

בחינה *nam probans, vel examinans:*) **בחינה**
 est examinare aliquid tanquam metallum per
 ignem, *Job. XXIII, 10. Psal. LXVI, 10.* (ignem crucis:)
Jer. IX, 7. Zach. XIII, 9. explorare alicujus robur, sa-
 pientiam, &c. hinc de tentatione Dei usurpatur
Mal. III, 15. Psal. xcv, 9. sic *Psal. xxvi, 2.* **בחינה**
 ita auris dicitur examinare sermones, *Iob.
 XII, 11. XXXIV, 3.* palpebræ filios hominum *Psal.
 XI, 4.* sæpiusculè verò usurpatur de penitiori
 scrutiniò cordis, quo Deus vel per absolutam
 omniscientiam, vel adhibitò crucis igni, accu-
 ratè explorat cordis cogitationes & occulta quæ-
 vis, ejusque sive sinceritatem ac constantiam,
 sive hypocrisin ac instabilitatem &c. *Psal. XVII, 3.
 Prov. XVII, 3. Ier. XI, 20. XII, 3. XVII, 10. XX, 12.*
 Copu-